

1214



GOTTI

Theolo

Magma

.1

BX1750

.G68

1793

v.1

c.1





1080045199

# THEOLOGIA SCHOLASTICO- DOGMATICA

JUXTA MENTEM

DIVI THOMÆ AQUINATIS,

AD USUM DISCIPULORUM  
ejusdem ANGELICI PRÆCEPTORIS

ACCOMMODATA PER FR.

VINCENTIUM - LUDOVICUM GOTTI  
ORDINIS PRÆDICATORUM, SACRÆ THEOLOGIÆ  
Magistrum, & Doctorem Collegiatum, olim in Patria Bono-  
nienfi Univerfitate Controverfiarum Fidei Publicum Profefforem,  
deinde SANCTÆ ROMANÆ ECCLESIAE CARDINALEM.

Tomus Primus.

IN PRIMAM PARTEM DIVI THOMÆ,

CONTINENS TRACTATUS

- |   |   |
|---|---|
| I. Ifagogicus.  | VI. De Deo Provifore, & Prædefti-<br>nante.                     |
| II. De Deo, ejus Exiftentia, Natu-<br>ra, & Attributis. | VII. De Deo Trino, feu de Sanctif-<br>simæ Trinitatis Myfterio. |
| III. De Vifione Dei.                                    | VIII. De Deo Creatore Generaliter.                              |
| IV. De Deo Sciente.                                     | IX. De Deo Creatore Angelorum.                                  |
| V. De Divina Voluntate.                                 | X. De Homine, & ejus Statibus.                                  |



VENETIIS,  
EX TYPOGRAPHIA BALLEONIANA.

M D C C X C I I I.

Superiorum Permiſſu, ac Privilegiis.

46599



179

THEOLOGIA  
SCHOLASTICA  
DOGMATICA  
IUXTA MENTEM

DIVI THOMAE AQUINATIS  
AD USUM DISCIPULORUM  
ACCOMMODATA PER  
VINCENTIVM LUDOVICVM GOTTI  
ORDINIS PRÆDICATORVM SACRÆ THEOLOGICÆ  
MAGISTRVM & THEOLOGICVM COLLEGIIVM IN PAVLA BONO-  
NICENSIS VNIVERSITATIS CONVENTIVM SACRÆ PAVLI PAVLI  
DEPDE SACRÆ ROMANÆ ECCLESIE

IN PRIMAM PARTEM DIVI THOMAE  
I. De Divinis Veritatibus  
II. De Deo Trinitate & Personis  
III. De Deo Patre & Filio  
IV. De Deo Spiritu Sancto  
V. De Divinis Veritatibus



VENETIS  
EX TYPOGRAPHIA BALLEONIANÆ  
M. DC. CC. LII.

LECTORI



Religiosa Obedientia factum in hac mea Theologia tibi exhibeo; quisquis  
sis, amice Lector; Hinc cessabit admiratio, quam forte conceperis, cur  
post Theologicos cursus a Viris omnigena scientia præclarissimis adorna-  
tos, evulgatosque, in arenam ego prodire ausus fuerim. Scias ergo oportet  
hujus mihi demandati Operis consilium. Multi sane, & quidem do-  
cte elaborati, Theologici cursus apud Nostrates, sive prælo jam editi,  
sive manu exarati, in dies: Discipulorum, & nostris oculis subjiciuntur. Sed quo-  
rum non modica pars pure scholasticis quæstionibus, & metaphysicis subtilitatibus ac-  
trix plus æquo indulgens, Juvenes pene jejunos dimittat in Veritatibus vere Theolo-  
gicis, & solum ad nauseam usque refertos disputationibus ad fidei negotium, aut Sa-  
cræ Eruditionem minime conducentibus, adeo, ut interrogati de Catholica Veritate  
adversus hæreticos, & de controversiis, quæ a Lutheranis, Calvinistis, Anabaptistis,  
Socinianis, & id genus hominibus Catholicos secernunt, nec controversiæ statum (ne-  
dicam nomen) exponere norint, ac Theologicam metam attingisse sibi adulentur, etiam  
si quid inter illos & nos seu quid illos invicem interfit, nec a limine conspexerint.  
Verum utinam novum esset hoc infortunium! Utinam hoc præcavissent, animum-  
que ad serâ, veroque Theologo digna convertentes, magis, quam Aristotelem, Scri-  
pturam Sacram, Traditiones, Concilia, Patres consulissent, in eisque exercitatos se  
ostendissent Theologi quidam, qui cum Luthero negotium susceperat. Huic audacissimo  
Apostata ansam procul dubio præripuissent eos increpandi, subfannandi, nec non  
dicendi (tom. 1. in respons. ad Silvest.) si apud jure Consultos proverbium recipitur: Turpe  
est Juristam loqui sine textu; Tu, vide quam sit honorificum, Theologum (qui maxime  
omnium debet) loqui sine textu; quem Apostolus (Ephes. 6.) jubet calcatum esse pedibus in  
preparatione Evangelii. Et Episcopum potentem, non in syllogismis, & opinionibus hominum,  
sed in doctrina sana, nimirum ea, quam alibi inspiratam vocat. Hoc enim consilium si fuisset  
servatum, minus nunc Ecclesia haberet inutilium quæstionum, & opinionum, & plus Evange-  
lii, & Christianæ veritatis. Pudere debuisset Catholicos Theologos audire Lutherum ta-  
li reprehensione ipsis, eorumque Scholis, insultantem, atque saniori consilio animum,  
ac mentem ad serâ convertendo, apostatici nebulonis, ejusque gregalium impudentes  
cachinnos collatis manibus propulsare, opportunum fuisset. Verum res in deterius  
ruit. Succedentibus seculis, quibus hæretica pestis non modicam Europæ partem in-  
vasit, Sacramentâ majori ex parte sustulit, ab Eucharistia Christum ejecit, Sanctis  
Cultum, Sacris eorum, & Christi Imaginibus venerationem denegavit, ritus abole-  
vit; Cælibatum, Jejunia exulare fecit, Romanum Episcopum ea, qua a Christo do-  
natus semper viguit, auctoritate nudare tentavit, nec non antiquam, veramque fidem  
falsis dogmatibus deturpavit, ementita jactantia nil aliud, quam Sacram Scripturam in  
ore gestans, ejusque Sacros Textus in suos pravosque sensus, vel repugnantem, de-  
torquens: quis non putasset, tunc ad Scripturas, ad Traditiones, ad Concilia, ad  
Patres, ad Disciplinam veteris studium Catholicis Theologis confugiendum fuisse, ut  
iisdem, quibus se triumphare existimabat, armis errorem obruerent, obstrepentis hæ-  
resis ora contunderent, simplicesque a deceptione liberarent? Ita sane faciendum fuis-  
set quisque prudens existimabit. At non ita a plerisque factitatum est. Non desuere  
quidem, qui sancto pro Christi, ejusque fidei gloria zelo accensi, id pro dignitate  
præstiterint. Sed major Theologorum portio, Domitianum imitata, muscarum aucu-  
pio (inutilium dico, & pure metaphysicorum studio) occupata permansit, cum hostes  
fuerant debellandi.  
Abstine tamen invidia verbo. Nec enim existimet quispiam, me Scholæ detrudere,  
dum sacrorum dogmatum studium promoveo. Hoc fuit Lutheri genium, quod dete-  
stor. In Scholam tota hæreticorum rabies invehitur, cujus armis in dies ad mortem  
usque vulnerantur, & transfiguntur, nec minima Scholæ auctoritas esse potest, quam  
parvi facere sine fidei discrimine nemo unquam potuit. Connexæ quippe sunt, ac  
fuerunt semper, post natam Scholam, Scholæ contemptus, ac hæresum pestes. Schola-  
stica verum defendam, immo & necessitatem demonstrabo. Scholasticas disputationes  
nec S. Thomas omisit; cur eas omittet Discipulus? Integra veri Theologi messis est,  
nedum in doctrina sana exhortari; sed & eos, qui contradicunt, arguere. Hoc au-  
tem sine Theologia argumentativa, seu scholastica quomodo præstabit?  
Jamque palam fieri incipiet presentis Operis Idea. Cum enim aliqui res dogmati-  
cas pure dogmaticè tractaverint, plerique scholasticè pure scholasticè vacaverint, desi-  
derari videbatur Opus utrumque conjungens, & dogmaticum, & scholasticum, quod-  
que sic scholasticis vacaret, ut dogmatica non omitteret, sed illa istis amico federe  
Gotti Theol. Tom. 1. 2



copulans, scholastica, quantum fieri potest, dogmatice, dogmatica vero scholastica methodo perolveret. Hoc mihi demandatum prosequi, quantum poterō, conabor, omnemque a me detergere suspensionem, ne, dum dogmatica propono, Scholae quidquam me detrahēre quis putet. Solum hoc Lectorem meum moneo, eam me vocare Scholae doctrinam, qua Sacrarum Litterarum fundamentis constituta sit, non eam, qua Sacris Litteris longum vale dixerit. Theologo quidem in famularum philosophica interdum accersere S. Thomas non damnat: nec ego improbo. Eos solum repudio, quos Theologos adscriptitios vocat Canys (lib. 8. Loc. Theol. cap. 1.) qui quaestiones vere Theologicas, aut sequuntur, aut aliis inutilibus toti vacant, aut si Theologica tractant, ea non Theologicae, sed vanis, invalidisque ratiunculis, magnum pondus rebus gravissimis detrahentes, absolvunt: eos pariter probare non possum, nec debeo, qui quasi ad discordiam nati, tum optime se differuisse putant, cum contra alios dixerint, ut non tam pro veritate certare, quam Adversarios convincere velle videantur, & concertationibus, ac rixis totas chartas implentes, veritatem involvunt potius, quam detegant.

Horum non paucos esse in Ecclesia hisce temporibus nemo non videt, ex Scholasticis medum, sed ex iis, qui se venditant Dogmaticos, qui nempe in sui ingenii ostensionem, & pompani, novas doctrinarum merces ex suae mentis officina exponere plus a quo fatigantes, nec non critici nomine gloriantes, vel cuncta in dubium vocant, vel (quod majus est) nihil, nisi novum ac praevis Doctoribus, nec non venerabili antiquitate adversum, ac si omnes caeci fuerint, ipsi soli perspicaces, & oculati existant, suis scriptis evulgare gestiunt.

Utriusque generis vitium meos Candidatus evadet, si exacte custodierit Apostoli monitum, qui discipulos suos Timotheum, ac Titum sanis imbuens consiliis, Timotheo inquit (Ep. 2. c. 2. v. 23.) *stultas, & sine disciplina quaestiones devota, sciens, quia generant lites: servum autem Domini non oportet litigare, sed mansuetum esse ad omnes, docibilem, patientem &c.* Tito autem (c. 3. v. 9.) *stultas, aut quaestiones, & genealogias, & contentiones, & pugnas legis devota; sunt enim inutiles, & vana.* Monita haec religiose servabis, si ad Magistrum suum S. Thomam sedulus adsipias, qui sua Summae, ac Scriptis nullam quaestionem, immo, nec articulum interferit, qui non, vel aliquem errorem exterminet, vel alicujus utilitatis pro Ecclesia Sancta Dei existat, quod suis in annotationibus ad Summam Doctus aequo, ac Venerabilis Vir Fr. Seraphinus Capponi a Porrecta ad oculum sigillatim ostendit. Qui insuper ingenio, animoque adeo docilem sese exhibet, tantaque veneratione Patres, Veteresque prosequitur, ut in iis quoque, in quibus reperit singulares, si nihil contrarium Ecclesia statuerit, eos non deferat penitus, sed quaestionem problematicae absolvens, suum eis honorem servet, vel si ab Ecclesia sensu dissentire videantur, benigna interpretatione ad sanum, verumque sensum eos trahere conatur. Qui demum S. Augustini vestigia adeo fideliter premit, ut *Augustinum contractum* eum Jansenius nuncupaverit, & indivisa semper fuerit Augustiniana, ac Thomistica doctrinae fortuna, nec ullus a Thoma unquam dissentire poterit, quin dissentiret ab Augustino, nec Augustinum relinquere, quin & Thomam reliquerit.

Hoc & ego religiose persequi, meumque Candidatum ejusmodi genio imbuere, quantum poterō, conabor. In scholasticis quaestionibus, quas pertractare necesse fuerit, eas eligam, quas alicujus utilitatis fore dignoscam, ceteras vel omittens, vel calamo strictiori percurrens. Controversias, quae Catholicas Scholas dividunt, sic percensebo, ut meae quidem Scholae sententiam pro viribus tuear, sed contendendi, ac rixandi animo deposito, ceterarum invidiam declinem. In dogmaticis porro, ac fidem quomodolibet tangentibus totus ero, ut eis Studiosum pro merito instructum reddam. Non latet, me difficillimam provinciam assumere, meique viribus longe superiorem. Non latet, divisim utrimque studiis, quibusdam Scholasticis in totum mancipatis, quibusdam Dogmaticae unice vacantibus, arduum fore, ut uniuscujusque partium votis satis faciam. Verum si quis hujusce Operis ideam, Tyrones nimirum imbuendi, pacato animo revolvat, facile acquiescet, si ea tantum, quae magis necessaria scitu, & captui incipientium accommodata sunt, me tradidisse contentus, ne labor in immensum abiret, pro uberiori rerum disquisitione ad Auctores, qui de singulis ex professo tractaverunt, Lectorem plura desiderantem dimiserim. His expositum volui Candidato meo hujusce laboris consilium. Superest, ut, & ego, & ipse ad Deum confugientes, lumen ad recte in Doctrina percurrendum, & Spiritum veritatis, qui Spiritus pacis est, non dissensionis, humiliter petamus, quod, Angelico nostro Praeceptore & Caelis intercedente, nos obtenturos fore pie speramus. Vale.

DE



**DE VITA AUCTORIS**  
Incensius Ludovicus Gottius A. E. C. MDCLXIV. Bononiae natus est, tamquam in Patrio Scientiarum solo, quo Filium rerum Theologicarum Studiis natum, Studiorum Patens optimis disciplinis educaret, Jacobum Gottium J. U. Doctorem Patrem habuit, Virum doctrina & prudentia in primis nobilem, in Bononiensi Archigymnasio legum Interpretem, Matrem vero ex stirpe Caparda non vulgarem feminam, tam moribus, quam nomine Claram. Et erat in eo cum praestanti, actique ingenio, conjuncta par corporis habitudo, decens forma, non immodicus vigor, melancholica, qua omnes ferme, ut Aristoteles tradit, ingeniosi nascuntur, bile accensa temperatio. Quae indoles in iram quamvis facile prona sit, ac praecipue, eam tamen, tum ipsa florenti aetate, tum omni vita, saepe ac fortiter ita moderavit, & fregit, ut ad officia mentis animum excitaret, de reliquo bonitati, ac mansuetudini obtemperaret, & decretis pareret suis. Ab ipsis unguiculis, vel Patris exemplo, vel indita vi, maximus illi inerat litterarum ardor. Et ejus cupido discendi se prodidit brevi Adolescentiam quippe vix attigerat, & jam artes omnes, quibus illa aetas ad humanitatem institui solet (ut est captus juvenis) a Praeceptoribus hauserat, ad hoc munus delectis in Scholis quas vocant, sicut a Patribus Societatis rudimenta Rethoricae. Sed saustis inceptis intervenit prima juvenia gravissimum malum, Patris scilicet acerbissimum funus. Grande enim vero impotentis aetatis periculum, paterno destitui freno. Non sic tamen nostro. Nam sinistro hoc fato, praeter amarissimum luctum, nihil contraxit noxium optimus adolescentens, quin potius singulari Dei beneficio salutare sibi statuit consilium, arrepto terreno Patre, totum se Deo, vero Patri tradere erudiendum. Divinam igitur voluntatem de se ut exploratam haberet, assiduis precibus orabat, qua de re insignes etiam pietate viros consultit. Statim ac autem divinum ipsi afflavit lumen, nulla posita mora, vocantem sequutus est. Et anno sextodecimo aetatis suae ad Bononiensem S. Dominici Coenobium properat, inibi rogat in Ordinem recipi. Clam a familiaribus, & domesticis suis fatetur se subtraxisse, timens a pio consilio impediri. Adolescentis animum & mentem P. P. admirati, repulsam dare nequeunt, admissionem differunt. Interim ejus consanguineis accitis, de pio usu, & innocenti fuga ventiam, immo mandandi consensionem secum deprecantur. Qua impetrata, voti compos strenuus adolescentens efficitur. Ancona religioe militiae Tyrocinium exercuit, & Anno MDCLXXXII. solemnibus votis Deo obstrictus Dominicanae familiae nomen dedidit. Philosophicis disciplinis instituendus, Forolivium ex Superiorum nutu se contulit, ubi per aliquod tempus P. Josephi a Turre Januensis, Viri litterariae Republicae benemeriti, ex institutionibus verbi Dei, quas pluribus voluminibus edidit, auditor fuit; Bononiam inde ex certa causa vocatus, triennalem cursum sub eximio artium Professore Angelo Unda de more absolvit. Quae ingenii praestantia, quae inacta virtutis de eo spes certissima habenda esset, Philosophiae curriculo palam innouit. In hac quippe facultate, novitius plerumque ingenii dura saxis, & gravi, nil ipsi non exploratum, nil non facile objiciebatur, quae vero semel hauserat, nedum immobiliter retinebat, sed omnium admiratione, de ipsis acute, nitideque diserebat. Quamobrem cum, quodam veluti litterarum commercio, selectissimi Juvenes consuevisent, tum ex remotissimis partibus Bononiam, tum istinc ad illas, Theologiae discenda causa, destinari, Gottius praeter ceteris hujusmodi visus est, qui Salmanticam (Urbs est Hispaniae doctrinae fama nobilis) hac ratione mitteretur. Nec destitit, Superiorum imperio obsequentissimus, ad iter, terra, marique difficilimum confestim se comparare, & sapientiae ardore vivente moleste peregrinationis discrimina, ad Praedicatorum Coenobium Salmanticae proficiscitur, quo tum florentissima undique consuebant ingenia, ut ex Professorum praestantia, studiorumque exercitationibus, exitum referrent divinae scientiae eruditionem. In tanta igitur Gymnastii frequentia, inter tot studiorum Emulos, quadriennio Theologiae curriculo, studiis & ingenio adhibens maximarum rerum effectricem constantiam, non doctrinam modo, sed singulare etiam doctrinae sibi decus peperit. Namque, quod uni ex delectis Professoribus committi, praeter omnem consuetudinem mandatum ipsi fuit, haud tam praclarum, quam arduum munus (Actum magnum vocant) in Salmanticensi Academia publice disputandi de universa Theologia, concurrentibus ad objecta praestantissimis Universitatis Professoribus. Quantum porro estimationis & laudis huic ipsi acceverit, argumento est, tum Salmanticensis Coenobii sollicita Patrum cura, qua, exhibitis etiam honorificis Cathedris, eum sibi perpetuo adoptare pertentantur, quibus tamen non acquievit, modeste, ac humaniter respondens, tanta benignitate uti non posse, quin Bononiensis



nienſis Cœnobii Patribus ubi Ordinem ingreſſus erat, ingratus fieret: tum Marcelli Duratii, Matriſque tunc S. R. E. legationem agentis, ſumma in eum gratia, & benevolentia. Quippe is audita ejus virtutis fama, Matriſque apud ſe eum manere voluit, ſecum comiter agens; immo ægrotantem a ſe divelli non permisit, donec integre perfectæque convaleſceret. Interea ab Archiepiſcopo Compoſtellano F. Antonio de Montoy, jam antea Prædicatorum generali Magiſtro, Sacerdotio initiatus, non abſque maximo deſiderio ſui ex Hiſpania in Italiam dimittitur.

Anno itaque MDCLXXXVIII, in Italiam reverſus, Mantuanum Cœnobium Philoſophiæ Profeſſor adierat; Ubi tamen pauliſper moratus, Romam petere a Magiſtro generali Ordinis juſſus eſt, a quo Minervitanæ juventuti philoſophis inſtituenda præficiſſetur. Quo munere triennio de more exacto, ad idem perficiendum munus in Archigymnaſio S. Dominici, Bononiam honoris cauſa, deſtinatur. Egregium utrobique emolumentum ejus virtus auditoribus præbuit ſuis, quorum plurimi ad inſignes gradus poſtea promoti, & F. Jonnes Baptiſta Lomellini Salutiarum Epicoſopus fuit. Philoſophica ſe iterum bene geſta, in Faventino Cœnobio Theologiæ ſuam navabat operam. Verum non poterat diu tanta doctrinæ lux domeſticis parietibus abſcondi, quin ſplendore ſuo non modo nitereſceret, quam prodeſſet publico. Bononiæ tum agebatur de Profeſſore inſtituendo in publico Archigymnaſio, qui demortuo S. T. M. Baſſano ſuccederet; rem Theologicam ad mentem Divi Thomæ auditoribus publice promoveret. Nec ambigendum diu, Gottii quippe fama totius ampliffimi Senatus adeo pervaleſerat animos, ut omnium ſuffragiis ac plaſu Gottius ad hanc Provinciam deligitur. Bononiæ tum Legatus a latere præerat Eminentiffimus S. R. E. Cardinalis Duratius, qui de ejus electione magnopere gratulatus, adventantem amplexus eſt; quem deinde nedum charum habuit, ſed in gravioribus conſiliis, pro ſua dexteritate & prudentia, eum non raro adhibuit. Noſter igitur in celeberrima Bononiæ Academia poſitus Theologiæ Profeſſor, inſtituit, ea, qua par eſt, gravitate ac dignitate rem divinam tractare. Namque experiebatur, quod & alias ſuaveſſimo Catholica fidei periculo acciderat, quedam in hanc facultatem irrepiſſe vitia, ejus Sanctitati ac Majeſtati omnino contraria: ſinceram, ſcilicet, veræ Theologiæ effigiem a quibuſdam nomine Theologis non teneri; immo utentibus umbris, nec ipſas umbras aſſequi, ſed inanem & obſcurum quemdam Theologiæ ſumum: totam rem divinam ineptiffimis diſputationibus tranſigi, fidei autem dogmata, vel quaſi extranea dimitti, vel naturalibus metiri argumentis, poſthabito auctoritatis pondere; hinc non modo a plerique noſtrum contemni Theologos ſcholæ, quam ab inimicis Eccleſiæ, una ſecum ſacroſancta dogmata velut hominum commenta irridenda propinari. Sui propterea muneris negotium fore perſenſit, rem perditam & collapſam, quantum in ſe poterat, reparare, & Theologiam ſcholæ ad eam reſtituere, quam ex D. Auguſtino Magiſter Sententiarum tradit natam eſſe rationem, nimirum, *quemadmodum fides Catholica & piis opitur, & adverſus impios defendatur.* Quocirca publicas prælectiones & ſcripta ſua ille primus, vel certe in primis, ſic adornavit, quod ſuperſtitiis diſputationibus, vanique recitiſ, neceſſaria dumtaxat ad divini verbi notitiam, vel utilia docerent: in quibus nec auctoritas abſque ratione deficeret, nec abſque auctoritate humana ratio deſiperet. Id ipſe reſtatur eſt, dum ex Imperio P. Auguſtini Pipia M. Generalis Ordinis A. MDCCXXIV. coactus privata ſua commentaria in Univerſam Theologiam ad publicam utilitatem Bononiæ typis mandare; in præfatione ad univerſum Opus XVI. voluminibus abſolutum hæc præmittit: *Jamque palam fieri incipiet præſentis operis idea. Cum enim aliqui res dogmaticas pure dogmaticè tractaverint, plerique ſcholæſtice pure ſcholæſtice vacaverint, deſiderari videbatur opus utrumque conjungens, & dogmaticum, & ſcholæſticum, quodque ſic ſcholæſtice vacaret, ut dogmatica non omiſſeretur, ſed illa ipſis amico ſedere copulans, ſcholæſtice, quantum fieri poteſt, dogmaticè, dogmatica vero ſcholæſtice methodo perſolveret.* His vero incredibilem adjeçit in declarandis penitioribus arcanis perſpicuitatem, quæ ſui adeo propria & gentilis erat, ut omnium conſenſu inter ſcholæſticos divini verbi Tractatores, par illi in nitore & claritate dicendi extiterit nemo. Quæ quantum noſtro auxerint famæ, quot ad ipſum traxerint auditores, vix dici poteſt. Non enim ex tota duntaxat Italia conveniebant plurimi, Cathedris inde, necnon Eccleſiaſticiſ dignitatibus, atque Epicoſpali etiam nunc uſque ex ejus diſciplina conſpicui, ſed ex Germania, & Pannonia poſſimum magni fiebant concurſus. Eſt Bononiæ Collegium illyrico-Hungaricum a Zagrabienſi Almo ac Venerando Capitulo erectum, Regiæ Hungariæ Majeſtatis tutela, & ampliffimis privilegiis nobile. Huc ſelecti admittuntur Alumni, qui Theologiis inſtitutionibus apprime imbuti, ad ſuas redeant partes Chriſtiani gregis periti cuſtodes, in ſana doctrina continendis populis, in coercendis, abſterrendiſque hæreticis, qui partes illas velut lupi rapaces circumeunt. Hi Gottii doctrinam odorati, perpetuo ſe totos erudiendos tradiderunt. Nec uberrimus

mus deſuit tanti fructus Magiſteri. Quippe ad ſuos remeantes Gottii diſcipuli, tanta æſtimatione exceſſi ſunt, ut præ ceteris ad ampliffimos Canonicatus promoti; Excellentiffimis & Illuſtriſſimis D. Georgius Branyugh, genere, pietate, ac doctrina perinſignis, ad Zagrabienſem Epicoſpatum evectus, gregem ſuum florentiffimum ſumma virtute ac zelo in præſens maſte cuſtodit vigilantiffimus Præful: Qui Gottii obſervantiſſimus, ſequuta hujus ad purpuram exaltatione, in liberaliſſimi, atque gratiſſimi animi monumentum, argenteam elegantis artificioſiſſimæ ſupelleſtilem ipſi dono miſit.

Theologicam igitur Provinciam, quam toto vitæ ſuo ſpatio Gottius retinere vehementer cupiebat, ad annos plures, magna animi ſui jucunditate, optime egit. Suaviſſimum quippe ſibi reputabat cum in obſequium Patriæ, quam poſt Deum dilectiſſimam habuit, tum divinis ſtudiis, quibus ſummopere delectabatur, mentem atque operam ſuam perpetuo conſecrare. Nec interea domeſtica Cœnobii negotia deſtitit promovere, doctrina, quam juvare prudentia. Nutu quippe Magiſtri Generalis ab Anno MDCCXCIX, ad Annum MDCCII perlegendæ Metaphyſicæ munus, & Magiſtri Studentium exegit, ſed & Anno MDCCVIII regimen Cœnobii Bononiæ S. Dominici biennio Prior tenuit; quo expleto, ad Præſecturam univerſæ Provinciæ Lombardia, aſſumptus eſt: atque iterum Anno MDCCXIV, Prior ejuſdem Cœnobii electus. Mirabantur ſane omnes in eo, aſſiduis ſtudiis & ſcholæſticiſ exercitationibus conjunctam ſummam agendorum diligentiam, ad omnia ſingularem animi præſentiam, paternam in omnes curam & vigilantiam; at multis magnique difficultatibus major erat mentis animique præſtantia, atque indefeſſa laborum conſtantia. Parum ſibi, & vix naturæ neceſſarium cedebat, reliquum vero temporis Deo, ſtudiis, reiſque domeſticæ deſignabat. Hæc invariabilis erat totius pene vitæ ſuæ ratio. Parciſſimus ſomni, ſex, vel ad ſummum ſeptem horas quieti dabat. Tenui, parabilique deſungebatur cibo, vinoque maxime diluto; carnibus quam raro, nonniſi urgente neceſſitate, veſcebatur. Obſervantia, regularis tenaciſſimus cuſtos, divinis officiis, contemplationibus, ceteriſque communibus actis conſtantiffimus aderat, nil ferens moleſtius, quam intempeſtiviſ curis diſtrahi, & regularis obſervantiæ publicis exercitiis aliquando impediri. Primo diluculo Sacrum conſiciebat; integram diem ducendo in Scholis; in conſiliis dandis, negotiis agendis, Confessionibus audiendis impendebat. Pomeridiana horæ tertiam partem familiaribus ſaliſque colloctionibus indulgebat, ad animi relaxationem, urbanitatemque exercendam. Iſtiusmodi vitæ inſtituto, exemplis, magis quam verbis Præful regebat ſubjectos; qui expedite feliciterque incedentem, facile, ac ſponte ſequébantur. Ipſe autem Chriſtiana magis demiffione, quam poteſtatis memor, in omnes imperium gerebat paternum; eorum incommodis, & difficultatibus ſedulo atque impenſe præſpicuus. Quorum vero vitia corrigere, vel mores coercere interdum cogebatur, nullo omnino indignitatis, irative animi motu faciebat: iracunda enim, nec lingua, nec facie viſus eſt unquam exardeſcere; ſed ad ſerietatem cum lenitate compoſito vultu, efficaciſſimis verbis delinquentes ſic urgebat, quod erubeſcerent ad poenitentiam, atque impoſterum cauſiſſime abſtinerent. Apparebat igitur in eo ardentiffimus monaſtice diſciplinae zelus, moderatione & placibilitate temperatus, eximia prudentia cum incredibile dexteritate conjuncta; quam obrem cuncta diſcrete, ſuaviter, ſapienterque disponebat. Quibus ille rebus effecerat, ut cum ceteris omnibus, cum præcipue domeſticis ſuis charus ſimul ac venerandus eſſet, nec libentiſſime modo omnes præceptis ſuis obtemperare, quam ipſi maxime placere ſtudioſius decertarent; ſic homines, vincit prudens & diſcreta ſapientia. In regenda univerſa Provincia individua illi comes erat perfecta in retribuendo juſtitia. Nullus hominum, vel etiam potentium, favor aut gratia, nulla indiſcreta mediatio; ſed ſola præſtantia meritorum, & certa perſonarum experientia, officia apud ipſum & gradus impetrabant. Qua conſtanti agendi ratione mirum eſt, quantum regularis diſciplina & ſtudia, eo moderante, profecerint. Hoc vitæ ritu viginti ferme annorum curriculo Patriæ & Ordini ſuo egregiam navavit operam.

Porro Anno MDCCXXV, vertente, Apoſtolicis litteris Clem. XI. P. M., ex tempore intelligi Mediolanum (Urbs eſt Italiæ præclariffima) generalem ſe fidei Quæſitorum Apoſtolicæ auctoritate eſſe delegatum. Graviffimum hercle ac permoleſtum ipſi videbatur, a Bononiæ Academia, a jucundiſſimis ſtudiis, ac Fratribus ſuis repente divelli; ſed & Cœnobii Bononiæ F. F. eum tamquam Patrem peramanter reſpicientes, atque univerſa Civitas ægre impatienterque ferebat tanti Civis jacturam. Supremo tamen obediendum erat imperio. Invitus itaque Mediolanum venit, tibi muneri, quod ingratis ſuſceperat, operam præſtitit ſuam haud ingratam. Ad cuſtodendam tuendamque rem Fidei totus incubuit. Ex ignorantia vel inſectia lapſos charitatis amplexibus erigebat, monitos, ac dolentes abſolvebat, nec parcens errori, ſecretis animadverſionibus honori conſulebat. Pertinaces vero, certaſque malitia aberrantes, ardentiffimo quidem Fidei zelo exagitabat, nunquam porro a lenitate diſcreto: quo



to: quo intelligerent, non personas, sed errores insequi, quibus ex animo renuncia-  
rei & ejurare, efficacissimis sermonibus, nec sine lacrymis, compellebat. Adversus  
Catholicæ Fidei hostes perpetuum atque implacabile indixit bellum, strenue acriter-  
que decertans; ne prava eorum conversatione, vel scripturis suis, Ecclesie Sanctæ  
Dei candor macularetur. Neque exiguus hujus zeli & vigilantia fructus. Quippe tum  
primo Jacobi Picenini falsam Apologiam, insolentissimam ac vanum Triumphum  
calamo perfringere instituit; cujus Operis scribendi rationem, finem, mentemque  
suam cum in sequenti præfatione sua enucleate nitideque ipse proposuerit: ne acta  
agere videar, de insigni hoc Opere quidquam dicere abstinere. Interea Procures &  
Senatores Mediolanenses, Virum jam fama præclarum, ingenti plausu exceptum; ex  
frequenti consuetudine perspectis tot in eo dotibus, de sapientia, de prudentia, de  
zelo, eximia comitati, atque humilitati conjuncto, pro se quisque magnificis verbis,  
atque honoribus celebrare gestiebat. Singulare profecto veræ virtutis a fucata discri-  
men! Utraque a longe perlata vehementer excitant sui opinionem; sed in conspe-  
ctu probatæ, quantum ista decrevit & contemnitur, excellit illa & commendatur.  
Benedictus S. R. E. Cardinalis Odescalchus, nostrum in primis gratissimum habebat,  
cujus jampridem Bononiæ Prolegatus virtutem noverat. Frequentissimis porro ac quo-  
tidianis fere colloquiis secum agebat, de gravissimis sui Archiepiscopatus negotiis  
mature deliberans. Quocirca omnem movit lapidem, ut à proposito abdicandi mu-  
neris ipsum averteret. Perperam tamen humillimus Gotti animus tot officiis, atque  
honoribus tentatus; immo ex his forte fastidiosum munus in dies magis magisque  
averlat, missionem suam iteratis, ac ferventioribus votis apud Pontificem exora-  
bat; quam post biennium a suscepto officio tandem impetravit. Bononiam Anno  
MDCCXVII. redeuntem charissimum Civem ovans gratulansque Patria recepit. Pau-  
cos post menses ex Senatus Consilio a Cathedra Theologica ad illam Controversia-  
rum Fidei ascendit; quam pridem V. CL. Benedictus Bacchinius Cassinensis Abbas,  
dum in vivis ageret, eximia monumentis illustraverat. In sequenti autem anno, a  
Theologorum Collegio, honoris causa, inter suos adoptatus est, ut *vero famoso* Do-  
ctoratus insignibus publice decretis, ipsique collatis; quæ sponte benigneque suscepit,  
non ad aucupandam gloriæ famam, sed ad Patriæ charitatem sibi ardenter adjungend-  
dam. Inter hæc præcitatissimum Opus adversus infelices Picenini ausus ad calcem duxit,  
quod *vere Ecclesie Christi* titulo nuncupavit, tribus justis Voluminibus exactum, & Ro-  
manis Typis jussu Clem. XI. P. M. Anno MDCCXXI. impellitum. Neque Adversario  
semel prostrato insurgendi vires permisit; quippe cum ejusdem Picenini liber de *con-*  
*cordia Matrimonium inter & Ministerium* Tiguri editus in ejus manus venerit, mole  
quidem exiguus, sed non tam Calibatus profanatione, quam contra Catholicas pro-  
positiones plurium errorum admixtione malignus, in omnem partem callidum hostem,  
nostrum, adortus, in tres classes Colloquiorum volumen instituit; in quo de Sacrorum  
Ministorum Calibatu, de Romani Pontificis auctoritate in Conciliis & definitioni-  
bus, aliisque Catholicis veritatibus, postremo vero de Gregorii VIII. vindictis ordina-  
te, eruditèque disseruit. Hoc Opus paulo serius quam scriptum fuerat, Anno scilicet  
MDCCXXVIII., Bononiæ publicam aspexit lucem. Unico tamen litterarum otio  
placidissime frui omnino ipsi non permittebat suorum contrarium amor, & deside-  
rium. Nimium infidebat omnium animis egregia hujus in regendo humanitas, &  
prudentia; propterea, quem merito Patrem jugiter colebant, interim Prælatum habe-  
re votis omnibus exposcebant. Importunis precibus, quibus resistere benignus erga  
suos diu non valuit, passus est ad Præfecturam Bononiensis Cœnobii A. MDCCXX.  
tertio eligi. Porro ad hunc Annum corrigendus est Cl. Jacobus Ehard, qui *Tom. II.*  
*script. ordin. Prædicat.* scribit, Regentem Generalis Studii Bononiensis nostrum fuisse;  
certo quippe certius est nunquam id muneris peregrisse, quod cum publicis præ-  
lectionibus conciliari nequitiam potuisset. Ergo Bononiense Cœnobium illo Anno  
Prælatum rexit; duobus vero immediate sequentibus universam Provinciam. Quo  
ex tempore ad extremum usque vitæ suæ, in eo apparuit evidentissime, honores reve-  
ra fugientes insequi. Sincera, ac vere Christiana cognitione sui, demisse de se un-  
dequaque sentiebat, tantum a laude & plausu abhorrens, quantum imbecillitatis suæ  
intime suafus, nil sibi debere ex corde pronuntiabat; solitus meriti se infra omnes,  
Fratrum suorum adjectissimum se profitebatur. Universa studia ac gesta sua; quem-  
admodum a Deo proficisci, sic in Deum unico referri assiduis precibus exorabat;  
neve ipsi, quod totum a Deo est, quidquam boni homines adjudicarent, eorum  
oculis, quantum possibile erat, ea celabat. Coactus vero Superiorum auctoritate pro  
Ecclesia Sancta Dei plura in lucem edere, Jesu Christo Salvatore, conceptis litteris;  
commendata unice voluit; nil ferens molestius, quam de his ab hominibus celebra-  
ri; nihil indignantius, quam ad honores & gradus proclamari. E contra virtutis, ac  
suorum Operum longe lateque perlata fama, veri rerum æstimatores de ejus merito

magni-

magnifice loquentes, amplissima jam ominabantur præmia. Provincia Præsul, dum  
per universam pene Italiam, visitationis causa, huc illucque demigraret, ad eum  
præclarissimi doctrina Viri conveniebant; allocuturi hominem de Christiana Repu-  
blica benemeritum, atque admiratum. Ab Episcopis, a summis etiam Principibus, ad  
quos obsequii causa accedebat, singulari benignitate exceptus; non nisi prævia am-  
plissima existimationis testificatione dimittebatur; Victorius vero Amedeus II. Sardi-  
niæ Rex, eximia rectusque hominum æstimator, maximo in pretio impostum eum  
semper habuit, adeo ut in Professorum Taurinensis Academiae delectu ejus consilio  
non raro usus sit: quod paternæ virtutis Hares & Filius Carolus Emanuel eadem  
ratione faciebat, adhibito insuper ejus judicio in nonnulla quorundam doctrinæ  
censura. Duobus interfuit generalibus Ordinis Comitibus, Romæ scilicet Anno  
MDCCXXI. & Bononiæ Anno MDCCXXV. Res in utroque erat de Generali Ma-  
gistro eligendo. In Romanis Comitibus in ipsum, eo nec cogitante, non pauci con-  
spirabant; sed in Bononiensibus potissimum plurimi ad eum accedebant suffragiorum  
concursum; quibus noster reniti & reluctare acriter non destitit, donec vota omnia  
alteri, quem digniorem ex corde prædicabat, unanimiter deferri ab Amicis non im-  
petravit. Scriptum est tamen: *Qui se humiliat exaltabitur*, & lucernam accensam sub  
modio latitare diu non debere, sed in candelabro ponendam, ut luceat omnibus qui  
sunt in domo Dei. Ergo dum Gottius minor in Ordine suo fieri sagiebat, major  
in Ecclesia Dei habebatur, parato ipsi gloriæ folio, ut in conspectu Principum pru-  
dentiam doceret, & loqueretur sapientiam.

Per id temporis sedebat in Cathedra D. Petri Benedictus XIII. Ordinis Prædica-  
torum, Summi Sacerdotii immortalæ decus. Hinc de promotione Gotti ad purpu-  
ram communis fere apud omnes orta expectatio. Constans quippe fama erat, quod  
sapientissimus Pontifex, Instituti sui amantissimus, potissime vero Provincie utriusque  
Lombardia; cui adscriptus fuerat, Virum hunc sibi alias acceptissimum, qui ejusdem  
familia longe ceteris in Italia constitutis præcallebat, ob eximia virtutis ac probi-  
tatis suæ merita, splendore Purpuræ illustrare, intra sacrati pectoris sui scrinium  
statuisset. Quamquam autem res aliquantum dilata esset; spes tamen, & rumor au-  
gebatur magis, & confirmabatur: tamque ardens erat Concivium amor erga ipsum,  
& desiderium, quod præ gaudio nonnulli eorum impotentes se cohibere, intempe-  
stivis sane atque importunis gratulationibus secum agebant. Is porro suæ demis-  
sionis memor, nil de se subline cogitans, solam suæ privata quietis tranquillita-  
tem sibi deprecabatur; atque studiis suis ocuis vacans, in suburbana Ronzani do-  
mo rusticabatur: cum interea magnis itineribus ex insperato Roma Nuncius ad  
ipsum venit quidquam tale nec suspicantem; qui exhibitis Apostolicis litteris, at-  
que Cardinalitius insignibus, eum Patriarcham Jerosolymitanum designatum, &  
S. R. E. Presbyterum Cardinalem creatum a Benedicto XIII. in Consistorio secreto  
renuntiat. Id factum pridie Kal. Maji Anno MDCCXXVIII. Quasi qui instantis  
mortis nuntio, vel repentino ictus fulmine, ut ad Amicum scribens ipse restatus  
est, ad hæc primo restitit, mox intimo doloris sensu commotus, meditari, ac  
versari mente, qui modus, quæ via paratior occurreret evadendi extremum hoc,  
ut sibi videbatur, periculum. Neque is pertentare factò, inaudita quadam ratione,  
destitisset, nisi, revera humilis, atque aliorum potius audiens consilii, quam in  
suis pertinax, validissimis Amicorum suasionibus intellexisset, perperam se, atque  
inaniter discrimen omne tentaturum. Hujusmodi victus rationibus, molestissimam  
dignitatem adspexit, sed ea fronte, quæ si alius quispiam eam dimittere adigeret,  
difficilem obrinent fidem; minora tamen retulimus his quæ oculares & dignissimi tes-  
tes certissima affirmant. Immo aliquibus ante annis observatum est in eadem do-  
mo simile quoddam humilitatis exemplum præbuisse F. Vincentium Mariam Ur-  
sinum, qui a Clem. X. S. R. E. Cardinalis renuntiat, ab excipiendis Cardinalitius  
insignibus illic se subduxit. Quare utriusque rei memoria ibidem hoc monumento  
consignata est.

## HUMILIS DOMUS HÆC

FR. VINCENTII MARIE URSINI ROMANI, QUI POSTEA BENEDICTI  
XIII. QUOD HUC FRUSTRÀ A SIBI DELATIS CARDINALATUS HONO-  
RIBUS DECLINARIT, SECESSU PRIMUM, ET FAMA IN ÆVUM PERIL-  
LUSTRIS, DEIN FR. VINCENTII LUDOVICI GOTTI BONONIENSIS ACA-  
DEMIE PROFESSORUM LITTERATISSIMI HIC INTER AMICORUM  
PLAUSUS AB EODEM BENEDICTO SACRA PURPURA DONATI PER  
NUN-



NUNTIIUM VI. NON. MAJ. MDCCXXVIII. MODESTIA, GEMITIBUS, ET ANIMI RELUCTANTIA POSTERITATI CELEBRIS, FREQUENTIA DEMUM OMNIUM ET SINGULORUM FELSINÆ ORDINUM OPTIMO VIRO CIVIQUE SUO GRATULANTIUM CLARISSIMA, DUM DUOS PRIVATOS ORDINIS PRÆDICATORUM ALUMNOS VIRTUTE PARES EXCIPiendo S. R. E. CARDINALES EFFECTOS, ORBI UNIVERSO POSTEA REMITTIT NUSQUAM MAXIMAS VIRTUTES LATERE POSSE, ET UBIQUE VEL ETIAM PER OTIA SUA PRÆDICATORUM ORDINEM AD MAJOREM PRO ECCLESIA LABORES EXCITARI, IMMO ET RAPI, QUALICUMQUE H. M. TESTATUR.

Ut primum Bononiæ optatissima rei fama vulgata est, cuncta Civitas extra se plenis portis effudit, Ronzani Collem consensura, ut Purpurati Civis sui manus exoscularetur, vel plausibus saltem conspectuque ipsi gratularetur. Is vero eminentissimum novæ conditionis statum ratus nulla ratione posse a se dimovere, ne vel dignitati injurius, neve communis lætitiæ significationi ingratus videretur, ad ingentiam sibi lenitatem composito vultu adventantes comiter modestèque excipiebat, Concivibus suis intimi affectus vices amantissime rependens. Gregorii S. R. E. Cardinalis Spinula, qui tum a latere Legatus Bononiæ agebat, inter ceteros, ut gaudium, ita studium maxime enituit. Namque venerationem illam, qua in privata etiam fortuna nostrum respiciebat, in ejus exaltatione amplissimis magnificentiæ, & liberalitatis monumentis maxime testatus est. Is septimo Idus Maji Cardinalitia insignia, quæ Pontificis nomine F. Joseph de Andujar Ord. Præd. Pontificiæ Bibliothecæ tunc Præfectus, postea Bobienfis nunc Dertonensis Episcopus detulerat, publica pompa, splendidoque apparatu in Templo D. Dominici solemniter ipsi imposuit. A Jacobo vero S. R. E. Card. Boncompagno in eodem Templo Sacra peragente, Thoma Torello Episcopo Foroliviensi, & Thoma Cervioni Episcopo Faventino cooperantibus, Patriarcha Jerosolymitanus consecratus est. Die xij. Maji, prima erat Pentecostes sacra.

Post hæc, gnarus jam Gottius de optatissima quiete ac tranquillitate sua actum esse totum se tradere in Christianæ Republicæ commodum instituit, cum pietatis exemplo, tum emolumento doctrinæ. In Urbem igitur deductus, a SS. Pontifice humanissime exceptus, sacris, ut vocant, Congregationibus Generalis Inquisitionis, Episcoporum & Regularium, Indicis Librorum expurgatorii, Sacrorum Rituum, Disciplinæ regularis, Examinis Episcoporum, Tridentini Concilii Interpretum, Indulgentiarum ac Reliquiarum, Propagandæ Fidei, & Librorum Orientalium Correctionis adscriptus est. His, sicut Consistoriis, ceterisque stans functionibus, nisi morbo impediente, diligentissimus, ac prius intererat. Judicia in ejus rationum pondere librata, perspicuitate, ac prudentia prolata, doctissima in primis habebantur, atque rectissima. Veritatis, ac justitiæ tenacissimus, non propria sententiæ; cui si quempiam aliquando noverat dissentiri, nusquam pertinaciter contradicebat, nec acriter obstarat: tanta erat in omnes reverentia ac modestia. Negotiis expeditis, otii impatiens domum sollicitus repetebat. Hic vel coram, vel per Epistolas ex variis terrarum partibus rogatus in consiliis dandis, in rebus arduis implexisque enodandis ad fidem, ad disciplinam spectantibus, tempus impendebat; nullam particulam horæ sine operæ pretio permittens elabi. In secretioribus consultationibus, gravissimisque curis a Summis Pontificibus frequenter adhibitus. A Mariæ Clementina Sobieski magnæ Britannia Regina, innocentia vitæ & excellentia virtutis immortalis Principe, magni habebatur: apud quem penitiora conscientia suæ arcana deponere, & in arreptam Christianæ perfectionis semitam eo Duce gressus suos dirigebat, rata se tanto Duce non nisi recte, ac tutissime progressuram. Infamibus tandem quibuscumque, qui consilii, vel cujusque necessitatis causa eum convenissent, audientia, & doctrinæ suæ copiam nunquam negavit, solitus dicere, se in assumenda eminentissima dignitate, non quæ reputant homines, honores & commoda, in ea respexisse, sed quæ ipsi harent indivulsa, onera, labores & curas suscepisse; ac frustra dici purpuratum Patrem, si Christianis fidelibus prodesse, etiam discrimine vitæ, paratus non esset. Tot autem varii-que distractis curis, subsisivam tamen partem temporis quotidie fere suffurabatur, ut privatis studiis, & Commentariis scribendis attenderet. Hinc egregia illa emanarunt Opera. Primum *De eligenda inter dissidentes Christianos sententiâ* adversus Joannem Clericum, e Remonstrantium secta apud Batavos magni nominis Scriptorem, qui ejusdem tituli libro Catholica Religionis principia conatus evertere, a nostro prostratus est omnino, disjectis vanissimis ejus fundamentis. Hoc Opus prælo datum Romæ Anno MDCCXXXIV. cum Ratisbonenses Typographi iterum eudissent Anno MDCCXLI., Germanorum Ephemerides sequenti judicio commendarunt.

publice

Publice adparuit hisce diebus Liber egregius Auctore celebri Cardinali Gottio, qui in novissimis Cardinalium Comitibus parum absuit ab Apostolico Throno, atque Orbi universo præclaris suis operibus maxime innotuit. Solide, ac nervose Adversarium refellit. Hujus Eminentiissimi Auctoris stilus, purus, perspicuus, riteque methodicus. Cum ista refutatio, tum cetera illius opera, magna eruditione, doctrina solida, ac summa moderatione scripta sunt. Quæ in medium affert momenta & rationes, ex eorum genere sunt, quibus Ecclesia Catholica adversus fidei hostes pugnare solet; sed nova methodo & arte exhibentur, & grate adco legentibus ingeruntur, ut cause vim & fundamentum statim intime assequantur. Quare eximii hujus Cardinalis labor & institutum plurimi faciendâ sunt.

Alterum deinde pro veritate Christianæ Religionis præclarissimum ingenii sui factum edidit, quo sectas omnes adversus eam pugnant, Atheos, Polytheos, Idololatrias, Mahumedanos, & Judæos de apertissima falsitate exacte convincit; Catholica vero fidei propagationem, mysteria, dogmata tanta argumentorum vi ac rationum copia vindicat, adseritque, ut Theologus ad rem feliciter conficiendam contra Christiani nominis hostes, validissima præstitisse armamenta videatur. Duodecim omnino voluminibus absolutum Opus Anno MDCCXLI. e Romanis Typis prodit. Neque ad extremum usque sibi indulgendum censuit. Duobus quippe supremis vitæ suæ Annis, etsi corpore infirmus, variisque afflictatus incommodis sentiens dissolvi, atque ardentius cupiens esse cum Christo in divini verbi contemplatione defixus, ad solatium animæ Commentarios in Genesim selectissimis Patrum sententiis ornatos ad Caput usque quadragesimum octavum erudite, nitideque extendit. Morte intercisum extremum tanti Scriptoris Opus in Bibliotheca Bononiensi FF. Prædicatorum asservatur, lucem forte, ut spero, aliquando adspicendum.

Jam qua Purpuratus Christianæ Republicæ fultus doctrinæ luce; nunc de pietatis ardore brevissime dicendum. Quippe cum in eam videns se raptum spheram, cujus cursu Christiani Orbis motus universi reguntur, sanctissime cautum habuit talem sibi instituire vitæ rationem, qualis si videretur ab hominibus, glorificarent Patrem qui in Cælis est. Instituto igitur a quo assumptus fuerat, addictissimus, cum externo habitu regularem omnem, quantum cum ipsa dignitate patibilis erat, suarum legum observantiam ad mortem usque constanter admisit. Pristinæ abstinentiæ, & frugalitatis custos, uno, vel altero obsonii genere eoque vulgari, eadem illi erat parabilis, & expedita mensa: Ades vero nec Purpurato, nec religioso Viro minus aptæ, non splendida, atque eleganti, sed munda supellectili ornata: non aulicorum, non famulatus ingens caterva, sed quæ eminentissimæ dignitati moderate deberi videretur, erga quam mitissime se gerebat, non corripiendo acriter, sed blande monendo, discretèque dissimulans eorum errores, quæque præcipienda occurrerant, rogantis potius, quam imperantis more suadebat, jucundam ipsis reddens servitii molestiam. Sui Ordinis Fratres eadem familiaritate, & affectu ac antea amplectebatur: horum consuetudine, & convictu suavissime usus, tanquam unus ex iis reputari omnino volebat; nusquam passus obsequia, quæ Purpuratis Patribus solent, sibi ab ipsis exhiberi, non alio immutatus, quam in eorum commodis auctoritate sua impensius promovendis; quibus tanta indulgebat liberalitate, quod ubi noverat cuiuspiam posse ope sua prodesse, ipsas supplicantes preces collato præibat beneficio, cujus summæ beneficentiæ largitatem, inter tot ipse expertus sum frequentissime. Ceterum non solum erga Fratres suos, verum etiam erga privatas, atque infimas personas (quæ ejus erat comitas atque humilitas singularis) benignitate & beneficentia effundebatur; pro omnium Patre, ac servo magis, quam pro Purpurato se gerens; Nec exteriorem modo demissionem coluit, indicem interioris, sed multo magis interiorem illam, quæ sita est in suis ipsius cognitione, & despicientia. Etenim cum propter eximiam doctrinam, dignitatemque; haud secus quam vir omnium ornatissimus suspiceretur, in ipso honoris fastigio, quod est difficilissimum, sui contemptor unicus, non minus laudem & honorem, invitamenta arrogantia, quam ceteri vituperationem & dedecus, horrebat. Quippe honores perosus, honorantes ita averfabatur, ut jam constaret inter omnes veterem illi simplicitatem esse cordi, sicuti omnis & ambitionis expertem. Id quod vel maxime ex omnibus scriptis suis perspicitur licet. Sui igitur victor, honoris etiam & gloria alteram retulit difficilem victoriam, adversus scilicet carnem & sanguinem, quæ vivens omnino non respexit: immo ab ipsa Cardinalatus inauguratione Fratres, ac Nepotes suos monitos voluit de ea, in qua nati erant, honesta fame, sed tenui fortuna, satius contentos esse, neve sperarent quidquam ab ipso obtenturos unquam, quo propriam conditionem vel immutarent illustrius, vel retinerent decentius. Transgressis autem arctissimis gloriæ & naturæ repagulis, quæ magnanimis maxime Viris fortiora esse solent impedimenta virtutis, facile ipsi fuit omnia infra se posita, fluxa & caduca despiceret, non frangi adversis, prosperis non intumescere, divitiis spernere, pecuniarum sensu nec adfici. Reditus propterea nul-

lus,